

Handwritten numbers and symbols on the right edge of the page, including '2.', '3.', and '4.', possibly indicating page numbers or a list.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

*Exhibens*

DIVERSA JURIS THEMATA,  
*Quæ*  
INDIVIDUÆ TRINITATIS POSTULATO  
SUFFRAGIO.

*Ex*

DECRETO, & AUTHORITYTE  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI,  
ET AMPLISSIMI, VENERANDÆ FACULTATIS  
JURIDICÆ, SENATUS, IN PERILLUSTRI,  
ANTIQUISSIMO, AC FLORENTISSIMO  
ATHENÆO MARBURGENSI.

*Pro*

SUMMIS, *in* UTROQUE *Jure*, HONORIBUS,  
IMMUNITATIBUS, *ac* Privilegiis DOCTORALIBUS,  
*legitimè & decenter* capeffendis,

*Placida ac solenni* DNN. Academiæ ANTISTITVM  
*ventilationi, exponit,*

Inacroaterio Juridico, H. S.

JOHANNES EULNERUS,  
CASSELLANVS HASSVS.

*Ad diem* Februarii ANNO salutis reparatæ,  
M. DC. LXIII.



MARBURGI CATTORVM

*Ex* Chalcographia SALOMONIS SCHADEWITZII,  
*Academia Typogr.* 24

~~259~~  
119!

1663, 1.

10

1127  
11  
SERENISSIMI, & POTENTISSIMI  
PRINCIPIS, ac DOMINI,

DN. GUILIELMI VI.  
HASSIÆ LANDGRAVII, PRINCIPIS  
HERSFELDÆ, COMITIS CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ, ZIGENHAINÆ, NIDDÆ ET SCHAUM-  
BURGI, DOMINI SUI CLEMEN-  
TISSIMI.

PRÆSIDI, CANCELLARIO, VICE-  
CANCELLARIO, OMNIBUS, & SINGULIS  
SEREN. S. CONSILIARIIS INTIMIS.

VIRIS,

ILLUSTRI GENEROSITATE, MAGNIFICENTIA,  
& MAXIME STRENUA NOBILITATE, AM-  
PLITUDE ATQUE CONSILIIIS  
EMINENTISSIMIS,

DOMINIS, PATRONIS, MECOENATIBVS, ac  
PROMOTORIBVS ad extremum vitæ habitum usque  
*devotè venerandis & jugiter observandis,*

Cum omni prosperitatum voto.

*Hanc disputationem Inauguralem in tesseram  
subjectionis submissè offert, & conse-  
crat,*

V.V. GENEROS.  
MAGNIF.  
NOBIL.

ac

AMPLIT.

*Devotissimus cliens*

JOHANNES EVLNERVS.



S. S. T. O. S. J.

THEMA I.



Missio consensus parentum, non de jure quidem Canonico, ast de jure Civili nuptias filij familiâs facit nullas.

De jure enim pontificio filius, filiave familiâs nuptias contracturus, parentum consensum duntaxat de honestate, non de necessitate adhibere tenetur. c. 13. X. de Spons. C. Sufficiat, 27. quest. 2. Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. Matrimonia à filiisfamil. sine consensu parentum contracta irrita esse, vel fieri posse, asserentes, anathemate damnantur. Zæf. ad instit. in tit. de nupt. n. 7. Zæf. ad Cod. in eund. tit. quest. 1. & in comment. ad 19. Canon. in h. r. num. 69.

THEMA II.

Polygamia jure divino & humano prohibita est.

De jure divino Sacræ scripturæ testimoniis digamiam seu

A

seu



051  
seu Polygamiam omnino prohibitam, probat primam conjugii institutio, *C. gen. 2. vers. 24.* Ubi Deus ordinator & author conjugii ita pronuntiat, & adhærebit uxori suæ, (non uxori- bus suis) & erunt duo, [non plures] in carne una, eadem hæc repetit verba, Christus Salvator noster, *Matth. 19. vers. 5* & *D. Apost: 1. Cor. 7. vers. 2. sic ait: Unusquisque suam uxorem & unaqueq; suum habeat maritum.* Nihil obstaculi aut periculi admovent exempla Patriarcharum & Regum, qui simul duas vel plures uxores habuisse leguntur. Nam hæc de re eleganter differentem videre licet. *Beza in tract. de polygam. & Carpzov. Jurispr. Eccles. lib. 2. defin. 3. per tot.* ubi ad omnia respondet.

Jus civile quod attinet; hæc decisio satis manifestè & clarè evincitur, & confirmatur ex definitione nuptiarum tradita, *l. 1. ff. de Rit. nupt. & §. 1. Inst. de patr. potest.* ubi dicuntur viri & mulieris conjunctio, his verbis *J Crus ostendit, nuptias justas unius viri & uxoris conjunctione constare: deinde etiam & sacratissimis Imperatoribus Romanis polygamiam displicuisse, eamque graviter detestatos fuisse, innuitur in l. 2. C. de incest. nupt.* ubi Imper. Diocletianus & Maximianus rescripserunt: neminem qui sub ditione sit Romani nominis binas uxores simul habere posse. Præterea is, qui binas uxores, vel bina sponsalia eodem tempore constituta habet, infamia notatur. *l. 1. ff. de his qui not. infam.* Imò & pœna capitalis, nempe gladii in *Constit. Carol. V. artic. 121.* in hoc genere delicti est decreta.

### THEMA III.

Sacerdos infantem morti proximum baptizaturus.

zaturus, aut in mortis agone constituto ægroto  
sacram Synaxin porrecturus, Sacra hæc omitte-  
re, & adversus vim injustam se opponere, & de-  
fendere potest.

Primo quidem intuitu ea sententia in foro conscientie  
tutior videtur, quã sacerdotem potius mortem oppetere de-  
bere, quã ab illorum sacrorum administratione recedendo,  
infantulum baptismo, & ægrotum sacra Synaxi privare statui-  
tur: propter illud quod Evangelista Johannes dicit. *cap. 10.*  
*vers. 12.* bonus pastor animam suam ponit, pro suis ovibus: Re-  
ctius tamen, & non obstante juris divini textu, sacerdotem  
hoc casu se defendere posse, asseritur: tum ob textum gene-  
raliter loquentem, *in clement. unic. de homicid.* tum, quod  
fortius naturale vinculum, nos etiam magis & fortius obliget  
ad propriam, quã ad alienam cujuscunq̃ue salutem conser-  
vandam & tuendam: nam charitas ordinata incipit à se ipso,  
*l. 6. C. de serv. & aq. l. 3. §. 6. ff. de bon. eor. qui ant. sentent. mort.*  
hic non omittendum dictum illud Senecæ. Dabo egenti, sed  
ut ipse non egeam, succurram perituro, sed ut ipse non pere-  
am. Huic opinioni subscribunt, *Theodor. Colleg. crim. disp. ult.*  
*rebes. 4. lit. A. Hippol. de Marsil. pr. crim. §. quoniam, n. 75. Fa-*  
*vinac. part. 5. quest. crim. 125. n. 39.*

THEMA IV.

Virgo honesta, pro defensione attentatæ pu-  
dicitia stupriq̃ue amovendi causa, violentum  
stupratorem licitè interficere potest.

A 2

C. non



151  
C. non est nostrum. II. c. 23. quæst. 5. l. 1. §. pen. ff. ad leg.  
Cornel. de sice. Constit. Carol. V. artic. 142 post princ. vers. Miß  
geschehen möchte: &c. Nam sicut vita semel amissa, natura-  
liter recuperari nequit, ita nec pudicitia. Audenter loquar,  
inquit Hieron. in epist. ad Eustachium de custod. virgin. cum  
omnia possit Deus, suscitare virginem post ruinam non po-  
test. C. si Paulus. II. C. 32. quæst. 5. Hanc sententiam juris inter-  
pretes communiter defendunt. Berlich. part. 4. conclus. pract.  
22. n. 40. & part. 4. conclus. 1. n. 11. Ferdinand. Vasq. lib. 1. illust.  
quæst. 11. n. 10. Arum. disp. pand. 1. thes. 4.

#### T H E M A V.

Evocatio, die Herausforderung / (bistu  
ein redlicher Kerle vnd kein Schelm / so  
komme heraus vnd wehre dich mein ic.  
& similibus verbis facta) pro tali offensione ha-  
beri non potest, ut provocatus, ad certamen  
provocantis, honoris sui defendendi causa, mo-  
riggerari debeat.

Neque enim ignominiam aliquam sibi contrahit, vel  
dedecus apud viros bonos incurrit, aut effœminatus est, qui  
evocantem non sequitur, sed viam juris eligere & contra  
provocantem ob injuriam sibi illatam in iudicio agere po-  
test. Harprecht. in tract. crim. §. item lex Cornelia de sice. 5. de  
publ. judic. Rarò Respublica esset pacata imò nunquam, si  
unicuique integrum foret, quoties injuriâ aliqua oneretur in  
arenam



222  
arenam descendere : Cum talis injuriæ compensatio , non tantum sit juri inimica, sed etiam paci. Est enim, lex, forum, judex, nisi quem jure vindicare pudet ; ait Quintilianus , & ea propter legum reperta est sacra reverentia : referente *Cassiod.* lib. 4. *Epist.* 11. Huc etiam spectant textus, *in l. 13. §. 3. vers. cur ad arma, ff. de usufr. l. 14. ibi idcirco judiciorum vigor, C. de Judais, & l. 176. pr. ff. de R. l. Ibi*, non est singulis concedendum, quod per publicas personas seu magistratus fieri debet, ne occasio sit tumultus : Olim rest. hist. Rex Daniæ legem tulit, ut omnes controversiæ qualescunque illæ essent, duello definirentur, & hoc in Muscovia adhuc usitatum esse, refert. *Bodin. de Republ. lib. 4. C. ult.* ubi multa alia memorabilia adducit : confer. *Schönb. lib. 6. polit. c. 23. pag. mibi 618.* In nostra quidem Germania, nonnullis in locis nobilis non comparens, ignominia aspergitur, & mensis, atq; convivii arceatur, & in hujusmodi ignominia signum consuetum esse lacinum seu mappam, quâ mensa integitur, pro ea parte ac latitudine, quam talis in decumbendo occupavit refecari, test. *Sichard. consil. crim. 8. n. 46.* Veruntamen hæc singularia certamina, & ad eruendam veritatem fallacia ac incerta sint, quia facile fieri potest, ut vincatur is, cujus causa justissima est. *C. significantibus 2. X. de purg. vulg.* Ideo rectè ea sunt prohibita non solum jure civili. *l. univ. C. de glad. tollend. lib. 11.* Sed & jure canonico *C. monomachiam 22. c. 2. quest. 4. & tot. tit. X. de purg. vulg. Pingizet. 2. quest. 59. n. 33, 34. & seq. usq; lib. 1. controuv. illustr. cap. 18. n. 15.*

#### THEMA VI.

Filius familiæ beneficio senatus consulti macedoniani renuntiare non potest.

A 2

Nam

Nam illud non in favorem filii familiæ, l. 40. ff. de cond. indeb. Sed in odium creditorum est introductum & respicit principaliter ac directò utilitatem publicam, & ideò privatorum pacto huic juri utilitatis publicæ causa statuto, & introducto renunciare non potest, l. 7. §. si paciscar. 14. ff. de pact. Zæsius in addit. ad tit. de Scto Macedoniano n. 1. & ad eundem tit. C. quest. 6. Bronchorst. cent. 1. miscell. controuv. assert. 62. Hahn. in observ. ad h. e. n. 3. pag. 916.

### T H E M A VII.

Tutoris datio, neque imperii, neque jurisdictionis, sed ejus, cui lex, senatus consultum, vel princeps nominatim concedit.

Probat. l. 6. §. tutoris 2. ff. de tutel. Sic lex Attilia prætori, lex Titia præsidibus tribuit jus dandi tutores pr. Inst. de atil. tut. & legati proconsulis ex oratione D. Marci tutores dare possunt, l. 1. ff. de tut. & curat. dat. ab his &c. Nec præfides provinciarum, qui tamen merum imperium habent. l. illicitas, §. qui universas ff. de offic. presid. tutores dare possunt, nisi nominatim hoc L. Julia & Titia indultum fuisset. prætor autem dat tutorem, non quatenus est prætor, sed quia L. Attilia ei nominatim hanc potestatem concessit, & ideò si prætor jurisdictionem suam Titio mandet, (ut fieri potest) jus dandi tutores in Titium non transit, quoniam Titio mandata sunt ea, quæ jurisdictionis, non verò ea quæ sunt legis. hæc mandari nequeunt, l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Deinde si tutelæ datio esset jurisdictionis, tunc vel meri vel mixti

mixti Imperii esset, sed neque meri Imperii, l. 3. ff. de iurisd.  
nec etiam mixti, quia aliàs mandari posset, sed hoc omninò  
negat, l. 8. ff. de tut. & curat. dat. Ideò neq; jurisdictionis, ne-  
que Imperii, sed permissionis est. Pro hac opinione militant.  
Hænon. diss. 3. controuv. 8. Bronchorst cent. 1. assert. 19. Hahn. in  
observ. ad tit. de tut. & cur. n. 1. Zæf. ad tit. de iurisd. n. 20.

T H E M A I I X.

Qui spècialiter Titium heredum instituit,  
nec revocaturum aut mutaturum suam volun-  
tatem juravit, is non obstante juramento, eam  
postea per aliam testamenti factionem revocare  
potest, illudque testamentum potius & priore.

Nonnulli juris interpretes, testamentum tale esse irre-  
vocabile, & non posse per novam supervenientem volunta-  
tem immutari, ob hanc potissimam rationem, asserunt. Quod  
ista obligatio nec naturâ rei mala sit, nec de re mala, aut per se  
impediente majus animæ bonum, sed de re quæ in favorem  
proximi facta, ei cedit in bonum, neutiquam etiam contra  
bonum commune licet ipsius testatoris privatam, cui ipse  
spontaneè cedere possit.

Affirmativa, cum aliis Dd, communior nec improbabi-  
lis videtur. Quia si primordialis testamenti natura admittit  
mutationem, nihil potest per illam testamenti factionem ac-  
cessisse juris heredi scripto ante testatoris mortem, quam na-  
turam non immutat juramentum subjectum, quoniam illud  
non tam ipsum testandi actum afficit, quàm promissionem,

nec



nec facit testamentum in alienam actus speciem transire, nemo enim potest eam in condendis testamentis legem ponere, à qua sibi recedere non licet, *l. si quis in pr. ff. de leg. 3.*

## T H E M A IX.

Duo unam eandemque rem in solidum possidere nequeunt.

Probat, *l. 3. §. 5. ff. de A. vel A. P.* Et contra naturam est, ut quod ego teneam, alter etiam tenere videatur: sicut enim unum corpus in duobus, & duo corpora in uno loco esse non possunt, corpora se occupare & simul esse natura non permittit: Sic dimensio suam occupat locum, ut obstaculo sit, ne quævis alia dimensio, & quodvis aliud corpus pariter, unaque cum ea eundem locum occupare ac replere possit. *Gothofred ad hunc §.* Etsi duo unius ejusdemque rei in solidum possessores darentur, hoc fieret verè, vel fictè, sed verè fieri non posse, ostensum est, nec etiam fictè, quia imitatur naturam, nec eam corrumpit. *§. minorem, Inp. de adopt.* Præterea possessio est ex rei vacuæ traditione *l. 3. ff. de act. empt.* ea autem quæ ab altero jam tenetur, vacua possessio dici nequit.

## T H E M A X.

Exceptio non numeratæ pecuniæ, elapsò bienniò à debitore, opponi non potest, etiamsi onus probandi in se derivet, & ad probandum, sibi non fuisse pecuniam traditam, ultrò se offerat.

Gomez.

Gomez, tom. 2. variar. resol. cap. 6. n. 7. & ibi Soaresz. in lit. j. Vmmius disp. de process. jud. 8. conclus. 5. n. 35. pag. 356. Zæf. ad Cod. in tit. de non num pecun. q. 4. Hænon. disp. 15. controu. 15. & alii plures negativam hanc non posse subsistere proferunt.

Mihi tamen magis arrisit sententia hæc negativa, quæ textibus satis conformis, & legibus firmiter corroborata & fulta est: Sicut enim post rem judicatam, vel jurejurando decisam, vel confessionem in jure factam, non amplius quæritur, an debeatur. l. postrem. 56. ff. de Re jud. ita etiam post biennium non amplius quæritur, an pecunia confessâ numerata sit, sed scriptura autoritate juris pro veritate habetur & confidentem obligat, pr. Inst. de liter. oblig. & l. 8. C. de non num. pec. diserte innuit debitorem post legitimum tempus id est post biennium omnimodo compelli debitum solvere, non potest autem compelli, qui justam exceptionem habet, imò ille debitor esse desinit, nec verè debitum appellari potest, quod propter exceptionem perpetuam peti nequit l. marcellus 66. l. nihil. 112. ff. de R. I. huc facit etiam l. 14. pr. C. de non num. pec. Ubi post biennium exceptionem sive querelam non numeratæ pecuniæ nullo modo esse introducendam, & admittendam, ergone tunc quidem, etiam si reus probationem non numeratæ pecuniæ in se suscipiat, nam si ultra biennii metas extendi potest, ut debitor onus probandi subeat, creditoris ratio nulla habetur, & constitutio Divi Imperatoris justiniani elusoria redditur, quæ dicit creditores pecuniâ suâ diutius defraudari non debere, in fin. Inst. de liter. oblig. Huic negativæ tanquam veriori adstipulantur. Frantzkius Exerc. jurid. 10. quæst. 10. pag. 605. & seq. Riemer. decad. 10. quæst. illustr. 8. Zanger. de except. part. 3. cap. 14. n. 66. Fachin. lib. 2. controu. jur. cap. 81. Hunn. l. 3. variar. resol. tract. 6.

B quest.



151  
quest. 2. Arum. Exercit. just. 12. thes. 12. Henricus Nebelkra decis.  
lib. decis. 22. aliique quam plurimi, quos brevitatis causa non  
tango.

T H E M A XI.

Fidejussor, qui se principalem debitorem  
constituit, [quod sæpius fit] **der sich als einen  
selbstschuldner verschreibet** / debitum alte-  
rius suum proprium faciendo, beneficio ordinis,  
seu excussionis se non potest tueri.

Verba, **selbstschuldner** satis probant, aliás si hæc verba  
nihil operarentur frustra essent posita, ac nulla invicem esset  
differentia, inter fidejussorem simplicem, & hujusmodi con-  
stituentem. In contractibus autem & instrumentis nullum  
verbum otiosum, neque clausula, sine virtute operandi esse  
debet. Gail. 2. observ. 28 n. 3. Harprecht. incomm. ad Instit. de  
fidejuss. n. 31. Hanc sententiam tamquam veriore, & in fo-  
ro receptiore amat communiter Dd. calculus. Berlich. part.  
2. conclus. pract. 23. n. 4. & seq. Gail. d. obs. Harprecht. d. l. Coler.  
de process. exec. p. 1. c. 10. n. 263. & seq. Fackin. lib. 8. controv.  
jur. c. 54. Vngepaur. exerc. just. 11. q. 8. pag. 437. Zanger. part.  
7. cap. 15. n. 9. Hering. tract. de fideiuss. c. 27. n. 91. & seq. Treut-  
ler. vol. 2. disp. 28. lit. D. Hipp. de Marsil. in rubr. de fidejuss. n.  
62. & seq. Gaedd. de contrah. & committ. stipul. c. 9. conclus. 5. n.  
97. & ali. quam plurimi quos sicco pede prætereo.

T H E M A XII.

Fideiussor pecuniâ destitutus, aliundè sub gra-  
vio

125  
vioribus usuris mutuum accipiens, eamque pecuniam mutuò acceptam, creditori solutionem indefinenter urgenti, & executionem minitanti, solvens, eas usuras à debitore repetere non potest.

Nam is suæ facilitati acceptum ferre debet, quod contra manifestam legis prohibitionem plus solverit, & cum poterit creditori opponere exceptionem inhonestam usurariæ pravitatis, eam omiserit: si enim fidejussoribus usuras ultra legitimum modum solutas repetere liceret, magna aperiretur fenestra fraudibus, cum usurarii scientes se, quod solverunt à debitoribus repetere possent, atque adeò de alieno corio ludere, mutuas invicem usuras præstare & hâc ratione miseros debitores pro libitu defraudare atque expilare possent. Hodiè verò tam à jure civili, *l. eos 26. C. de usur. & l. 17. ff. eod.* quam novissimè Recessibus Imperii, *de anno 1500. 1548. 1539. 1577. tit. Von wucherlichen Contracten, &c Reichsabschied zu Regensburg de anno 1654. S. Anreichende*: In Imperio Romano Germanico sancitum est, quod nullo modo, ratione, & prætextu, ultra legitimum modum usuræ promitti possint, etsi fuerint promissæ, eæ nullatenus exigantur, sed de singulis centenariis quinque annua, vulgò *von hundert Gulden Hauptgeld / 5. Gulden. Abzins oder interesse zu nehmen* / Ideoque fidejussor eas minimè repetere potest. In hanc negativam inclinant. *Coler. de process. execut. part. 1. cap. 10. n. 99. Hartman. pistar. part. 3. quest. 1. n. 40. Carpzov. part. 2. constit. 30. defn. 16. Dissentis. Moller. lib. 2. semest. cap. 40. per tot.*

B 2

THEMA

Pœna furti hodierno tempore, ad mortem  
usque extendi potest.

Ad diversos casus temporum diversorum & rerum, di-  
versæ quoque actiones & rationes sunt adhibendæ, ait cicero:  
quamvis enim olim pœna pecuniaria furibus præstituta sit,  
hodie tamen ex furto plerumque criminaliter agi potest. *l. fin.  
ff. de furt.* Nam aucto genere humano, simul etiam homi-  
num perversitas, & ad delinquendum facilitas nata est: Ut  
enim in morbis periculosis & magnis remedia periculosa &  
extrema sunt adhibenda, juxta Medicorum Cardinalem  
Hippocratem, *lib. 1. Aphorism. 6.* ita etiam delictis magis ma-  
gisque crescentibus, pœnæ, non molliendæ, sed usque ad mortem  
exacerbandæ & decernendæ sunt, *l. 16. §. fin. ff. de pœn.* &  
quicquid medicamenta morbis & corporibus præstant, hoc  
exhibent jura Reipublicæ & negotiis, *Nov. III. in pr.* Verum  
non est faciendus scrupulus, si damnum inspiciamus, quod  
alteri infertur, & Reipublicæ turbationem quam furtorum  
frequentia excitat: Salus aurem populi, suprema lex esse de-  
bet, *inquit cicero*, & fures salutem Reipublicæ, communem-  
que utilitatem lædunt, *Wesemb. in parat. ff. de furt. n. 15.* Præ-  
terea, cum in furto non tam ipsæ res subreptæ, quam affe-  
ctus furandi animusque fraudulentus ac perversus attenda-  
tur, & ne in posterum quies atque tranquillitas Reipublicæ  
inter concives interturbetur, à ratione & æquitate haud ab-  
sonum est, si fures ad deterrendos alios furcæ vel cruci affi-  
gantur, probat *Constit. Imper. Frider. 2. F. 27. §. si quis quin-  
que solidos, &c.* Huc etiam accedit hodie *Constit. Crim. Carol. V.  
art.*



art. 160. & seq. ubi quis pro magno furto suspendi potest.  
 Haenon. disp. 18. controu. 7. Arum. disp. pand. 24. thes. 6. Harp-  
 recht. in comment. instit. tom. 4. ad tit. 1. lib. 4. n. 8. & multis  
 seq. Hunn. vol. 2. variar. resol. disp. 30. thes. 3. quest. 25. pag.  
 325.

#### T H E M A XIV.

Is, qui in supremo iracundiæ calore constitu-  
 tus, in alterius contumeliam iniuriosa verba e-  
 vomit, si postea animò sedatò, se injuriæ illatæ  
 poenitere ostenderit, viam juris agendi iniuriato  
 præclusisse non videtur.

Quia aliàs rarò delinquentes punirentur, cum plerum-  
 que ex iracundiæ calore delinquant, malitiosis etiam ac per-  
 versis hominibus exoptatissima præberetur occasio, viros  
 honestos injuria afficiendi, calumniandi, atque impunè di-  
 vexandi, si enim contra se actionem injuriarum intentari a-  
 nimadverterent, se facti poenitere nunquam non ostenderent  
 deindè poenitentia delictis commissis mederi non potest,  
 l. quia 65. ff. de furt. l. pen. ff. de vi bon. rapt. Reipublicæ au-  
 tem interest, ne delicta maneant impunita, l. 51. ff. ad leg. A-  
 quil. & ut metu & acerbitate poenarum & suppliciiis, à delictis  
 alii deterreantur l. 16. §. fin. ff. de pæn. Gail. 2. observ. 206. n. 9.  
 & seq. Theodor. colleg. crim. disput. 2. thes. 17. lit. F. Hunnius  
 variar. res. vol. 2. disp. 30. thes. 6. quest. 42.

#### T H E M A XV.

Astrologus, qui ex astris, Chiromanticus, qui  
 B 2 x ma-

251  
ex manuum inspectione, vel physiognomus, qui ex figura corporis, vultusve, consultus respondit, aliquem esse furem, homicidam, aliove crimine maculatum, injuriarum actione conveniri non potest.

Manifestè probatur, ex *l. 15. §. si quis astrologus 13. ff. de injur.* & ratio redditur hæc, quia actio injuriarum non datur nisi adversus illum, qui animo calumniandi aliquid protulit *l. 3. §. 1. ff. de injur.* In hoc autem nostro casu astrologus non animo infamandi, sed artis suæ, quam profiteretur exercendæ causa vaticinatus esse censetur, id etiam inde conjici potest, quod astrologus non sua sponte, sed requisitus ac consultus, atq; ratione artis responsum istud ediderit: Hinc si medicus ab aliquo cujus interest scire consultus, de constitutione seu valetudine caji responsum dederit, illum leproso seu gallico morbo esse infectum, etiam si erraverit, actione injuriarum non tenetur, cum non animo injuriandi, sed imperitiâ quadam id fecisse censetur, si verò nemine interrogante se certis signis ac indiciis deprehendisse, cajum à lepra vel alio morbo ægrum esse, in apicem protraxerit, quin injuriarum eo casu teneatur, haud ambigitur.

#### T H E M A XVI.

Procurator ad agendum constitutus, propter iniuriam verbalem domino principali illatam, omisâ injuriarum actione nomine principalis, retorsionem interponere non potest.

Man-

Mandati enim fines Procurator excedere non debet,  
*§. is qui exequitur, 8. Inst. de mandat. l. 5. pr. ff. eodem* Utilius  
 etiam est contra injuriantem in judicio agere, quàm injuriam  
 illatam retorsionis subsidio diluere, atque expellere, quia  
 injuriæ impositæ vindicatio in judicio ritè facta, propter ipsi-  
 us auctoritatem, plus ad honoris defensionem & purgatio-  
 nem, quàm extrajudicialis seu privata retorsio conferre vide-  
 tur, si verò dominus procuratori specialiter mandet, ut co-  
 ram notario & testibus suo nomine compareat, retorsionem-  
 que in scriptis decenter expediat, non minus retorsionem  
 istam domini existimationem purgare existimo, ac si ipsemet  
 dominus libellum confecisset, & eum per notarium & testes  
 obrectatori exhibuisset. Indubitati enim juris est, omnia ne-  
 gotia tam judicialia, quam extrajudicialia per procuratorem  
 expediri posse. *l. 1. §. usus, 2. l. 42. §. 1. ff. de procur. l. 32. §. si do-  
 minus 18. ff. de recept. arbitr. & ideò cum is per procuratorem  
 speciali mandato munitum, retorquet, suamque innocentiam  
 ostendit, ipse retorsisse dicitur, quia quod quis per alium  
 facit, ipsemet facere videtur, C. qui facit. 72. X. de R. I.*

T H E M A XVII.

Crimen læsæ majestatis committens, non  
 statim à tempore delicti perpetrati, dominium  
 rerum suarum amittit, sed condemnatione de-  
 mum secutâ.

*L. 46. §. in reatu 6. ff. de jur. fisc. ubi expressè ponitur,*  
 constitutum in reatu bona sua administrare, eique debito-  
 rem rectè solvere posse, exindè apparet, reum hujus criminis  
 ante sententiam, esse rerum suarum dominum, non verò fis-  
 cum, nostræ deniq; sententiæ suffragari videtur, *l. ult. C. ad leg.*  
*1ub.*

*Iul. Majest.* ubi aperte cavetur, quod convicto mortuo id est majestatis reo ejus bona successoribus eripiantur, & fisco vindicentur: priusquam verò reus majestatis convictus & superatus fuerit, bona ipsius ad fiscum non pertinent. Hanc sententiam communem pronuntiant: *Bossius in tit. de sentent. n. 48. & in tit. de crim. les. maiest. n. 73. peregrin. de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 171. Fachin. lib. 9. controuv. iur. c. 35. Gilhaus. in arbor. iudic. crim. cap. 2. tit. 2. n. 11. Hunnius vol. 2. variar. resol. ad Treutler. disp. 32. thes. 1. quest. 13. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 20. n. 39. & seq.*

T H E M A X I I X.

Mandans alicui, ut percutiat tantum adversarium suum, hac tamen cum expressa inhibitione, ne ipsum interficiat, mandatarius autem fines mandati transiliens, eum perimit. Hoc in casu non mandanti sed mandatario poenam ordinariam homicidii infligendam, arbitror.

In maleficiis non exitus, sed animus dolosus & voluntas directa occidendi requiritur *l. 14. ff. ad leg. Cornel. de Sicc.* In proposito autem hoc casu mandator non habuit animum & voluntatem internecandi, sed solummodo percutiendi, ut ex mandati formula clarè & evidenter relucet, deinde si mandator ordinariâ esset afficiendus poenâ, hoc non aliam fieret ob causam, nisi quia perpendere debuisset, ex vulnere, quod infligendum jusserat, mortem sequi potuisse; sed hanc non sufficientem esse causam, ut ille homicidii mulctetur poenâ, quia non indolo, sed in culpa tantum fuit, ea verò nequaquam sufficit, ut poenæ legis corneliæ ordinariæ locus relinquatur, *l. 7. ff.*

*l. 7. ff. de leg. Cornel. de Sicc. Unusquisq; igitur ex suo admissio  
 sorti subicitur l. 26. ff. de pæn. l. sancimus 22. C. eod. Hanc  
 conclusionem veram amplectuntur. Hænon. disp. 17. thes. 12.  
 Bronch. Cent. 2. misc. controu. assert. 65. Arum. Exercit. just. 15.  
 thes. 9. & disp. pand. 25. thes. 12. Fachin. lib. 1. controu. jur. c. 36.*

### T H E M A XIX

Largum cruorem, ex cicatricibus vel ore,  
 vel naso, hominis interfecti, præsentem de homi-  
 cidio suspecto, profluentem neque ad conde-  
 mationem (A) neque ad torturam (B) suffi-  
 ciens præbere indicium: firmiter assero.

(A) In criminalibus enim luce meridianâ clariores pro-  
 bationes requiruntur, *l. ult. C. de probat.* & quoties de vita ho-  
 minis agitur, perspicatius & diligentius agendum est, *l. 29. C.  
 de appell.* Satius enim est inquit Ulpianus in *l. 5. ff. de pæn.* son-  
 tem dimittere, quam innocentem condemnare & quo gra-  
 uiora sunt crimina majusque rei periculum, eò magis provi-  
 dendum, ne facile quis condemnetur. *l. 1. §. 5. ff. de Carbon.  
 edict.* Hinc in casu adulterii literæ amatoriæ germanicè (*die  
 buhlen Brieff*) à viro alienæ uxori missæ, penesque uxorem  
 visis ac repertis, adulterium non probant, *Bocer. tract. de tor-  
 tur. cap. 3. n. 113. Besold. in thes. pract. sub lit. buhlen Brieff* / nisi  
 tale quid in se contineant, quò facile de veritate criminis  
 commissi, judici constare possit.

(B) à tormentis enim ad veritatis investigationem ini-  
 tium sumere, prohibitum reperitur, *l. 1. pr. l. maritus, 20. vers.  
 nec solere, ff. de quest.* Sed tunc demum indagandæ veritatis  
 gratia quæstioni patet locus, si reus verisimilibus probabili-  
 busq;

C

busq;

busque oppressus est argumentis, quæ ex aliqua intrinseca à nobis cognita, & naturæ convenienti causa promanant, l. 18. §. 1. ff. de quest. l. 3. ibi, ut videantur l. miles 8. §. 1. vers. certis iudicis ductus C. eodem. Sanguis autem profluens huiusmodi iudicia non subministrat, cum illud ex causis homini etiam sapientissimo incognitis, & valdè remotis proveniat, & quia sæpius factum fuisse, cadaver occisi non solum accedente homicidâ cruentasse, verum etiam ad præsentiam innocentissimorum ac dilectissimorum sanguinem effudisse, Heig. part. 2. quest. 39. num. 104. multis exemplis facile demonstrari potest. 2. quia in const. crim. Carol. V. art. 18. non tantum requiritur, daß ein redliche genugsamb Anzeigung argwohn / vnd verdacht gegeben werde, verum etiam homicidiorum, artic. 33. & seq. recensentur, nec tamen sanguinis eruptio illis annumeratur & accensetur: Exinde enim ea, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta l. 15. §. 26. ff. de injur. Indicium autem sufficiens præbet si alia concurrant iudicia quæ probabile faciunt crimen, & iudicem sufficienter informant, Zæf. in comm. ad tit. ff. de quest. n. 38. in fine.

#### T H E M A XX.

Probatio per aquam frigidam sumpta, inquam mulieres artis magicæ suspectæ, è vinculis exemptæ, curruique impositæ, per carnificem extra portam ad profluentem aquam vel lacum devehuntur, manibus pedibusq; transversè constrictis conjiciuntur, si de mergantur, innoxia si verò anseris & anatis more supernatent, noxiæ pro-

nuntiantur, ad torturam sufficiens contra sagas non ponit indicium.

In aliquibus quidem germaniæ partibus ac locis consuetudine sufficiens ad torturam habitum, & nonnullis etiam doctis tale visum: Rectius tamen à plerisque Dd. reprobatur, & omnino insufficiens veneficii indicium adinventum, cum in iure nostro nullum habeat fundamentum, in quo pius iudex pedem figere possit, & erubescimus sine lege loqui, *Nov. 18. cap. 5. pr.* & quod expressè & disertè sancitum non est, superstitiosis inventionibus non est præsumendum, *Gravetta consil. 6. n. 87. & consil. 25. n. 9.* & sanè qui loquuntur sine lege nimis altè volant sine pennis, idcirco non mirum si veluti Icarus cadant ut refert *Cagnolus in l. frater à fratre, n. 226. ff. de cond. indeb.* Illi etiam oleum & operam perdunt, lateremque (ut dicit proverbium) lavant, qui in indagandis hujus purgationis per aquam frigidam causis, sive naturalibus, sive supernaturalibus sollicitè laborant, *Otto melander de Sag. pag. 63.* Huc sententiæ firmiter adhærent. *Heigius part. 2. quæst. 39. Gödelman. tract. de mag. venef. lib. 3. c. 4. n. 20. & seq. Binsfeld. de sag. in quæst. de purg. aq. frigid. pag. mihi 148. Mart. Delrio de mag. lib. 4. c. 4. quæst. 3. sect. 1. 2. 3. Treutler. vol. 2. disp. 4. thes. 7. lit. D. Berlich præct. conclus. part. 4. cap. 4. n. 178. Carpz. præct. crimin. part. 3. quæst. 122. n. 69.*

T H E M A XXI.

Hic quæstionem hanc adjicere lubet? An osculum legitimam atque sufficientem adulterii commissi præsumptionem præbeat. Resp. Negando.

C 2

1. Qu



951  
1. Quia justinianus præcipit adulterium probati debe-  
re. *Nov. 117. cap. 8. vers. si de adulterio &c:* & conjecturæ  
veræ & propriæ, quæ à legibus sunt receptæ requirun-  
tur. *Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. quest. cas. 115. n. 6. & 7.*  
nullibi verò, (ut ego arbitror) osculum inter conjecturas à  
lege receptas ad probandum commissum adulterium con-  
numeratur *Menoch. lib. 5. præsumpt. 41. n. 26. & seq.*

2. Quia, osculum ad bonum & honestum, & non ad  
malum & inhonestum affectum directum esse, præsumitur,  
& ideo germani dicunt. *Das küssen ist nur ein abwischen.*  
Hac de re eleganter consulantur. *Harprecht. in Comm. ad instit.*  
*de publ. jud. §. 4. Hænon. disp. 24. controu. 3. lit. B. in fin. Gil-*  
*haus. in arbor. iudac. crim. cap. 2. tit. 18. n. 16. & seq. Farinac. in*  
*prax. crim. tit. 16. de del. carn. quest. 136. n. 129. & seq.*

T H E M A XXII.

Furem legitimè condemnatum, & semel  
strangulatum, si ruptò laqueò vivus & illæsus in  
terram patibulo decidat, rursus suspendendum  
esse, censeo.

Quia sententiæ iudicum semper suum effectum sortiri,  
& realiter executioni mandari debent, *tot. tit. ff. de Re iud. &*  
*constit. Crim. Carol. V. art. 162. vers.* Und soll der Man mit dem  
Strang vom Leben zum Tode gestrafft werden: Publicæ enim  
disciplinæ favor dicat ac suadet, ut maleficia puniantur, *l. lo-*  
*catio 9. §. quod illicitè s. ff. de public. & vectig.* & pœnas ob ma-  
leficia solvi magna ratio suadet, *l. 70. §. id quod s. ff. de fideiuss.*  
si autem fur non iterùm stranguletur, certè dici non potest,  
sententiæ iudicis esse satisfactum, & eam executioni manda-  
tam, ideo tali modo ita suffigendus, ut vitâ in totum privetur.

Ad



130.  
Ad hæc, si fur patibulo decidens, esset dimittendus, optima daretur occasio furibus pœnam mortis effugiendi, & sententiam judicis eludendi, cum quacunque ratione vel ipse vel cognati ejus conarentur pecuniâ corrumpere judicem, ut fune uteretur infirmiore, quo, eô fractô, fur decideret, vel alio modo ipsum delabi curaret, ne tamen sententiæ judicum elusoria reddantur, constanter huic opinioni assistendum, & sanctissimum est officium, si de criminosis fiat justitia. Hinc puellæ ad ultimum supplicium damnatum, in matrimonium à magistratu postulanti, concedendum non esse: quia nullum majus aut gratius sacrificium Deo potest offerri, quàm si hi, qui in suam aliorumq; perniciem debachantur, competenti vigore compescantur. *c. quali nos 44. in fin. c. 23. quest. 5. facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi, C. est in iusta 33. c. 23. quest. 4. & publicè interesse pœnam non facile remitti, ne ad maleficia temerè quisquam prosiliat, notat Imperator Dioclet. l. 14. C. de pœn. Hænon. disp. iurid. 13. thes. 11. pag. 372. & disp. 18. thes. 11. Hunnius variar. v. solut. vol. 2. disp. 30. thes. 3. quest. 27. & 28. Gilhaus, in arbor. iud. crim. c. 2. tit. 27. n. 33. & 34.*

T H E M A XXIII.

Mortuo domino feudi relictis pluribus heredibus, feudum pro indiviso possidentibus, omnibus illis fidelitas à vasallo præstanda non est.

Per textum 2. F. 55. §. firmiter, vers. præterea, 2. F. 77. vers. plures autem, 2. F. 102. ibi non debet quis duas fidelitates pro eodem feudo facere, sed ex iis, unus qui communi nomine & vice recipit fidelitatem, eligendus est: nam qui cum uno contraxit, non debet in plures personas distringi, *l. ne in plures 2. ff. de Exer. act. crim.* cum verò vasallus ab uno tantùm feudum

C 3

acce-

acceperit, & cum eo contraxerit, conditio illius ex morte domini & pluralitate plurium heredum durior effici non debet, exinde autem unam fidelitatem præstare tenetur: Cùm hæc opinione concordat quoq; jus saxonicum feudale, *Das Lehenrecht / cap. 29.* ubi dilucidè cautum reperitur, vasallum non nisi ab uno ex filiis domini investituram petere debere, sic enim sonat textus: *Der Mandarff nicht mehr / dann von einem seines Herren Sohn sein Gut empfangen.* Hæc sententia tanquam communis in praxi recepta est; *Gæd. disp. feud. 3. thes. 36. lit. B. Schulz. cap. 9. n. 75. Gothofred. disp. 8. thes. 2. lit. A. Bocer. de investit feud. cap. 4. n. 42, 3. 4. & 5. Finckelth. disp. feud. 7. controuv. 18. Sonsbec. part. 11. n. 13. Hartman. pistor. part. 2. quest. 47. n. 24.*

T H E M A XXIV.

Si vasallus justo iracundiæ calore motus, dominum in adulterio uxoris suæ deprehensum, occiderit. Hoc casu vasallus feudo privandus non est.

Etiam si quidem hoc in casu homicidium illud non omnino impunitum relinquatur, *l. 38. §. 8. ff. ad leg. Jul. de adul.* feudo tamen propterea vasallus non cadit, quoniam Dominus feudi adulterium cum uxore vasalli committens, contra obligationem reciprocam ex contractu feudali descendente, fidemque, quâ vicissim vasallo obstrictus est, delinquat, adeoque domino prius contra obligationem reciprocam delinquente, vasallus feudo privari non potest. *Schulz. cap. 11. n. 10. Luduvell. cap. 16. pag. 112. Hann. de feud. cap. 14. pag. 378.*

T H E M A XXV.

Si castrum cum iurisdictione omni in feudum à principè est datum, his verbis, *wir beleh*



131  
nen dich mit diesem Flecken sampt aller  
Obriegkeit vnd allen Gerichten / merum  
Imperium datum censetur.

*Valtei. cap. 5. n. 5. pag. 80. Carpzov. disp. 2. thes. 4. Hunn. c. 9.  
pag. 169. Finckelth. disp. 3. controv. 13. Schultz. cap. 9. Et alii  
affirmativam hanc tuentur: Sed jure justiniano concessio  
jurisdictionis omnis merum imperium non necessario infert  
quia potest intelligi de concessione omnium specierum juris-  
dictionis simplicis, l. 16 ff. de jurisd. Si vero plenissima juris-  
dictio fuerit concessa, illa merum imperium continet, lib. de  
pac. constantia, vers. nos Romanorum Imperat. Frideric. ibi in cau-  
sis criminalibus, quam in causis pecuniariis &c. Et ex usu lo-  
quendi verba **alles Gerichte / vnd alle Obriegkeit** / tam merum  
quam mixtum Imperium continent, maxime quia hodie om-  
nes penè jurisdictiones cœperunt esse patrimoniales, &  
quilibet inferior princeps est magistratus perpetuus, ideò ali-  
is quoque & merum imperium infeudum concedere potest.*

T H E M A XXVI.

Nobilis quidam multa possidens feuda, paulò  
post, relictis ex se quatuor filijs, & uno clerico,  
fatis suis cedit. Hoc in casu filius clericus ad suc-  
cessionem feudi admittendus non est.

*Pertext. 2. F. 36. in fin. vers. sic dicimus 2. F. 30. §. ex hoc  
C. 2. F. 26. ubi dicitur, quod is, qui clericus efficitur aut  
votum religionis assumit hoc ipso feudo privetur, hæc autem  
negativa procedit, sive sint Monachi sive clerici alii quoniam  
facti milites Christi, desinunt esse milites hujus seculi, & inepti  
ad officium beneficio quoque sunt indigni, 2. F. 21. nam mili-  
tans Deo non debet se implicare negotiis secularibus C. placuit*

21 *quest. 3.* Et hæc sententia ita amplianda, ut etiam si Clericus per substitutum servitia præstare velit, tamen successione arcendus est, propter generalitatem dicti textus, 2. F. 30. *vers. ex hoc &c.* ubi legitur Clericum nullo modo in feudum succedere posse, quia verbum denotans potentiam significat quandam impossibilitatem & necessitatem præcisam, *l. nemo potest, ff. de leg. 1. & l. non poterit ff. de furt.* Pro hac opinione negativa stringunt, *Curt. jun. part. 3. memb. 2. n. 13. & multis seq. pag. mibi 269. & seq. Schultz. cap. 8. n. 90. & seq. Hunn. cap. 18. pag. 247. & 48. Finckelth. disp. 6. controu. 16. lit. A. & B. Gædd. disp. 7. 9. 13. Vultei. cap. 9. n. 67. Fachin. lib. 7. controu. iur. c. 35.*

T H E M A XXVII.

Si dominus per triginta annos fundi alicuius nomine quasi feudalis esset, servitia ab ejus possessore, tanquam vasallo receperit, is directum dominium istius fundi præscribit, fundique dominum vasallum sibi acquirit.

*Arg. correlativorum quorum eadem ratio & dispositio esse debet. Hujus opinionis patrocinatores reperiuntur. Vultei. li. 1. c. 90. n. 9. Gothofred. disp. 5. th. 3. lit. 1. Borcholt. part. 3. c. 7. n. 9. & 10. Julius Clarus in §. feudum. quest. 19. n. 1. Mynsing. cent. 4. observ. 29. n. 9. Et plures alii feudistæ sic sentire dicuntur.*

T H E M A XXIX.

Jurisdictio cameræ morte imperatoris non extinguitur.

Quia Cæsar & imperium simul jurisdictionem cameræ concesserint: Sicut igitur imperium non moritur, sed perpetuò durat, quamvis Imperator decesserit, ita & jurisdictio cameræ, Imperatore defuncto non extinguitur. Hanc negativam defendunt, *Reink. lib. 2. class. 2. cap. 14. n. 12. Arum. vol. 1. disc. acad. 13. q. 4. & disc. 1. n. 54. vol. 3. limn. lib. 9. c. 11. n. 59. Schultz. vol. 1. disp. 5. thes. 14. lit. D.*

OMNIPOTENTI, ac CLEMENTISSIMO DEO, SIT LAUS,  
HONOR, & GLORIA, in sempiterna secula Amen.





## COROLLARIA.

I.

Sacerdotibus seu, Clericis Vxores ducere  
permissum est.

II.

Minor viginti annis, utcunque sit pubes, in cau-  
sis criminalibus testis esse non potest.

III.

Consuetudo illius loci, quâ sepultura defuncti  
debiti causâ impeditur, & ipsius cadaver ar-  
resto detineri tamdiu permittitur donec so-  
lutio præstetur, irrationabilis est.

IV.

Filius familiâs de bonis adventitiis, in quibus pa-  
ter usumfructum non habet, testari nequit.

F I N I S. •



52

CONFIRMATIO

COROLLARIA

I. Auctoritate seu Clericis Vxoribus ducere  
permissum est.

II.

Minor viginti annis, utriusque sexus, in can-  
sas criminalibus testis esse non potest.

III.

Construendo illius loci, quae sepelitur defuncti  
debiti causa impeditur, & ipsius cadaveris  
testis detinetur tandem sepelitur donec lo-  
cacio practetur, intransmissis est.

IV.

Filiusfamilias de bonis adventitiis, in quibusda-  
ter testamentum non habet, testari non potest.

F I N I S




X 261 5933

W 17









DICA  
~~259~~  
 119!  
 MATA, 1663, 1.  
 STULATO  
 10  
 TATE  
 ISSIMI,  
 ACULTATIS  
 ILLUSTRIS,  
 SSIMO  
 L.  
 ONORIBUS,  
 TORALIBUS,  
 TITIVM  
 ERUS,  
 VS.  
 reparata,  
 RVM  
 ADEWITZII,  
 4

